

# Siegertexte des Pretium Petronianum Quintum:

## Aufgabenstellung:

- Mindestumfang von mindestens **20 Teubner-Zeilen**.
- Zur Wahl stehen diesmal **drei Themen**:
  - Thema 1:** Die Ankunft eines Fremden in der Stadt Rom.
  - Thema 2:** Ein Einheimischer schreibt über eine/n an seinem Ort Exilierte/n.
  - Thema 3:** Die Reaktion des Augustus auf Ovids Tristia 2.
- Die Perspektive und Situation der jeweiligen Themenstellung kann und soll individuell gewählt und gestaltet werden.

1. Platz:     **Maire-Luise Reinhard** und **Siegfried Benthien** (Thema 3)

Sigufriidus Alexander Benthien et Maria Ludovica Reinhard qui in partem Pretii Petroniani V vocati sunt scripserunt de irato P. Ovidio Nasoni Augusto

Vipsania Agrippina Germanici Agrippae Postumo suo salutem plurimam dicit.

Mi frater, quem (licet extorrem) maximi aestimo, noli umquam de exilio desperare. Iam enim salvus es. Ego, quae magis genti Iuliae purae, ne dicam sanguini matris nostrae, quam impurae ac sanguine Claudiano contaminatae faveo et quam non solum coniugii Claudiani ab avo sibi impositi, sed etiam exsillii fratris carissimi piget, tibi in veritatis lucem profero, quae ab avo nostro lascivo celata tibi usui erunt. Invenies enim fragmentum a poeta ingenioso scriptum quod ad salutem tuam, calamitatem eius atque e Claudio Nerone nati spectat. Quo celerius Caesarem urgens non tantum Romanus civis gratus, verum etiam successor atque heres eius secundum sanguinem vivas. Ita simul ex vinculis Caesareis iam non puris effugiamus. Propera igitur redire et ope Ovidi facere, ut avus noster lascivus te isti Tiberio praeferat.

Crediderim sane quemvis hominem, cui deorum gratia ingenium praestantissimum sit tributum cuiusque versus Musa ipsa divino afflatu concitaverit, sollertia sua perire nequire. Sed qualia flumina, quae huc illuc labuntur et modo omnia secum rapiunt in campos exspatiantur, modo omnino exsiccantur, tales etiam sunt cum omnes vitae casus, tum maxime iudicia. In huiusmodi causa nunc etiam Naso noster versatur, neque quomodo eveniat certum est, cum Caesar maximam iram pascere atque omnes sagittas in eum collineare videatur.

Nunc autem ad eum sermonem transeo, quem captavi.

Nuper forte principem cum quibusdam familiaribus in cubiculo colloquentem aure foribus admota clam audivi. Cum animadvertissem eum quadam de re maximi momenti locuturum celeriter stilum cepi et quidquid audiebam chartis mandabam. Agebatur enim de causa illa Ovidiana:

Princeps „Fu!” inquit, „*Quantas verborum phaleras! Quam mirificam verborum vim! Iam non mihi nocere potes, audacissime Naso, qui iam Ponticum mare incolas! Nequiquam istis nihili versiculis animum meum flectere conaris. Immo! Stimulos etiam adicis. Te sine senatus consulto expulsus esse nec ullam purgandi occasionem tibi datam esse quereris. Sane igitur sive relegatus sive*

*exsul dicare licet – parum enim interest. Sin autem speras fore, ut te a tuis molestiis liberem, spes, ut ait sanctus poeta, pascis inanes.*

*Ut enim sementem feceris, ita metes. Populo autem Romano cum rationem redderem, cur te in exilium pepulisses, non omnia aperui nec totam rem ad vivum resecuri. Suspiciosus enim et varius iste populus est, et timebam ne in vitia incurrerem, cum te accusarem. Tamen non falso crimine te insimulavi, Naso, nam impii sceleris reum te fecisti!*

*Quae de immiti Tomorum caelo narras, tibi credo. Ceteras querelas ignaviae tribuo tuae. Ac quo magis causam irae meae odorari et pervestigare volueris, et vanis lamentationibus aures meas oneraveris, eo tibi ero infensior.”*

Haec fatus rursus volumen evolvit, quod tum a servis magna voce sibi praelegi iterum iterumque iussit – quam autem magis magisque

submittebant, cum Caesari summopere bilem moveri viderent: Quoties audivit, toties offensus est.

Apparet enim Nasonem de iudicio Caesaris dubitare! Carmine tristi perlecto haec Augustus: „*Non modo sibi ingenium arrogat, verum etiam se omnibus optimis poetis successisse contendit. Multis Graecis commemoratis nostros ab Ennio nec Gallum istum potatorem, qui Aegypto abusus est, nec Propertium Tibullumque elegantissimos praeteriens usque ad Vergilium, quem maxima auctoritate vigere constat, enumerat. Omnes enim veros Musarum sacerdotes de amore quoque cecinisse firmissime asseverat. Quin etiam genera carminum varia, in quorum numero tragoedias quoque habet, de hac suavissima re agere! Quem se putat iste? Nil nisi versiculos pepigit neque se ipse mihi sat dedicavit.*

*Pro certo Fastis quoque suis chartam aspuit; at quid est hoc? Breviter vacavit, ut breviusculum opus de feriis scriberet. Quasi non deceat huic nobilissimae rei maximum opus dicare! Atque omni arte, qua plebi adularetur, carens, ludos, qui sine dubio fastis iuncti sunt, vituperavit! Nec solum ludos, verum maxime me, qui sum omnium ludorum praefectus!*

*Alii autem poetae, sive leves comoedias conscripsere, sive, ut Flaccus aiebat, carmine tragico vilem certaverunt ob hircum, sive etiam mimis et cantibus ventosum vulgi plausum captarunt, hi omnes veritatem illam splendidissimam non modo aperuerunt, verum imaginibus poeticis adornaverunt et collustraverunt – atque simul voluptati cotidianaе consuluerunt!*

*Profecto olim etiam tragoediam de Medea composuit. At necem infandam non palam proponere decuerat magis quam necem puerorum in scaena ipsa coram pueris et matribus spectantibus agere. Nam, ut ait poeta doctus ac sapiens, ne pueros coram populo Medea trucidet. Nihilominus hac crudelitate cum patribus, tum plebi admirationem sui omnino iniecit.*

*Cave ne amplius etiam te accusem et coarguam: saepe enim haud multum afuit, quin vulgus, talibus operibus excitatum, gulae libidini nequitiaeque succumberet. Istud quidem libelli tui paene effecerunt, quos iam pridem incitamenta ad libidines et ad omnes viles voluptates illecebras esse constat, cum aliis iucunda oblectamenta, aliis vero impudicae lasciviae fomites sint. In hoc enim falluntur: Plerique enim non nisi de pravis et obscenis rebus cogitant. Si igitur talia carmina legunt, libidine obcaecantur, atque caeci primum sibi nocebunt ipsis, tum toti rei publicae, tametsi poeta hoc efficere noluerit.*

*Rogas, ut opus tuum de coporibus mutatis probem. Hoc faciam, ut potero,”* inquit Augustus et ridibundus volumen primum revolvit, in quo Iuppiter Lycaoni ac toti humano generi irascitur:

*cuncta prius temptanda, sed immedicabile curae  
ense recidendum, ne pars sincera trahatur*

*„Crede mihi! Opere tuo in lucem edito multorum clamores et vociferationes intumuerunt, eorum scilicet, qui a te incitati et omnis pudicitiae obliti libidinibus nunc indulgent. Cum autem te e medio sustulisset, hae ipsae voces se in nos verterunt nobisque maledicere coeperunt – mox autem obmutescunt. Qua de causa Nasonem mastigiam nefas est queri.“*

Sic in fermento iacebat princeps. Ad irae cacumen autem pervenit, cum talem verborum faecem effutivit: „Ceterum,” inquit, „quomodo quis putare possit se impune talia scribere posse, equidem ignoro. Quem nostrum ignorare retur se olim hac erravisse? De quo errore se versiculos composuisse num me familiaresve ignorare arbitratur?

*Quam stolidos nos ducit! Non ignoramus carmen et errorem Ovidii nasuti, quem ista cupiditate occultissima quaeque pervestigandi vectum (in quo Gallum, cuius carmina omnia deflagrari iusseram, imitatus) atque ebrium per vias usque erravisse scimus omnes, et auribus arrectis atque oculis ad fenestram versis in angulo horti regalis meae constitisse.“*

Dixit.

Harum rerum Livia nesciente emissarius, principi nostro crisans, *ut si frumentum clunibus* vanneret, Caesarem certiozem facere solebat. Utrum paelex an puer fuerit, etiam mihi ignotum est. Utique delicias Caesaris speculari oportebat. Tum accusationem, qua iam assueta sum, perrexit: „*Nihil aliud nunc dicam nisi versus, quos iste in lumen edere potuit, postquam in chartula humi relicta Ovidius vecors Catullum obscenitate notum imitatus est:*

Pulchre conuenit improbis cinaedis,  
*Augusto pathicoque Claudioque*  
nec mirum: maculae pares utrisque,  
*et regalis et illa consularis*  
impressae resident nec eluentur:  
morbosi pariter, gemelli utrique,  
uno in lectulo erudituli ambo,  
non hic quam illa magis uorax adulter,  
riuales socii puellularum.  
pulchre conuenit improbis cinaedis.”

Haec plena contemptus verba Augustus ipse legit. Miretur quispiam quod lecta non statim igni mandaverit. Si enim quis e plebe hanc chartulam inuenisset, fama per orbem terrarum auctoritati Caesareae nocens percrebuisset. Sed princeps sapienter, ut fateor, decrevit, ut Tiberio amasio suo et successori (cuius stirpem irridere poeta obscenus visus erat) carmen istud insulsum traderet. Qua ratione impedivit, quin spes imperii Romani Augusto morituro poetam revocaret.

„*Neque hoc carmine querulus aures meas satis offendit: Me Iovi similem esse dicit. Licet rideam! Nonne etiam aliquot versibus post satorem hominum deorumque increpitat, obiurgans eum ob adulterium? Quasi talis sim! Iam pridem Liviae meae carissimae persuasi, ut mihi semper fideret! Scilicet epistula ista ab Antonio scripta (quem proditorem superi perdant) in qua me tamquam moechum ludibrio habuit, matrimonio meo usui non fuit. Quid ad me? Nunc animula mea mellicula mihi iam bene vult, quod maximum est. Longum est plura dicere: Pro laudibus poeta nunc odium in me concipit.*

*Quibus de causis ut iste in meliorem quendam locum commigret numquam sinam ego princeps omnipotens!”*

His rebus iudicatis Augustus etiamtum iratus cubiculum reliquit. Velim his acceptis officio hereditatis satisfacias!

Cura, ut optime valeas!

Scribebam Romae, a.d. V kal. Dec. anno a.U.c. DCCLXVI.

---

*Haec epistula Planasiae inventa est Agrippa Postumo vita defuncto.*

## 2. Platz: Florans Hazrati und Adrian Weiß (Thema 2)

Ventus Pandateriae autumnat. Modo boreae venti per hanc desperatam insulam flabunt. Hi queruli circum saxa sibilabunt et domus, in qua eam custodio, cum saxi condita sit, omnibus perflatibus tremet, dum mare improbum contra litora pulsat. Hic nihil nisi tempora anni mutat. Hanc insulam, meam patriam, iam diu odi. Mater sagae Romanae, gemens Scribonia, servam domus surdam clamat. Cum nesciam, an haec recte surda sit, hanc quidem infantem esse constat et veri simile est eam linguam Latinam non novisse. Adultera autem lavatur, etiam hodie, omni vespere ea mari corpus abluit. Ego autem litore insisto et eam custodio. Qua de causa faciam, nescio, sed necesse est hanc semper custodiri, hoc est, quod facio.

Veri simile est illos timere, ne ea se praecipitet in aquam. Corpus eius nobile atque iuvenile movet, cum in mare descendit, sed facies obsoleta atque vetus. Saepe me inclamat: „*Quam bene, quod tu eunuchus es!*“ Cachinnatio prope suffocatur. Numquam respondeo. Generatim inter nos non loquimur, ego modo mutus spectator tristis diei filiae Augusti sum.

Antequam ea huc venit, frequentes famas audiveram. Famae, quae pars Romae sunt, sed Pandateriae non valent. Dicebatur ea filia Divi Augusti, mater, quaestuaria esse; mores eius libidinibus perditum esse, ea hoc loco propter adulterium esse. Eo tantum quod ei fama effrenatae adulterae est, hodie ei subsum. Mutus spectator captivae adulterae sum.

Iterum illa in fenestra sedet, sol lente occidit, caelum rubidissimum videtur. Longe ea prospicit. Puto eam continentem terram videre studere. Interdum, cum inquiete ad speculandum exurgit oculosque comprimit, puto eam Neapolim videre opinari. Sed fieri non potest, ut hoc oppidum a Pandateria videat, ego ipse id hinc numquam vidi, quamquam amplius triginta annis in hac insula vivo. Abhinc multos dies ei urbs Roma auxilium non fert. Itaque inedia vitam finit. Cibum a me praebitum non accipit. Ea hoc auguste deponit. In dies diuturnius dormit. Non iam mari corpus abluit, non iam ex fenestra ad continentem terram opinatam spectat. Heri mortua est, cui ipsi sua vita numquam fuit. In epitaphio scriptum est:

*Hic Iulia iacet, filia Divi Augusti, qui se ab ea abdicavit.*

*Iuliae non erat malum femina esse, sed filia dei.*

Mihi nomen Iullus est, cui virilitas exsecta est, eunuchus, spectator epitaphi miserrimae feminae. Ego eam amabam.

3a. Platz: **Clara Brilke** (Thema 2)

Incredibile est, quid mihi hodie acciderit. Quis vir iste fuit? Qui hoc ridiculo modo in viis ambulat. Profecto ille vir togatus est. Semper credebam neminem umquam tali veste, quae certe incommoda ei afficit, vestitum esse.

Ego omnia genera mirorum capitum maxime tolerans eum adeo. Quem salutans dico: „*Te salvere iubeo in urbe nostra, peregrine. Salvus et fortunatus sis.*“ Peregrinus autem non respondens devertit. Qualem novam atque integram audaciam! Num quid inepti dixi? Fortasse non verbis claris locutus sum. Ergo conatu aliquid experiri non desistens rogo, unde venerit. Maxime mirabile auditu erat, quid responderet:

*Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis,  
milia qui noviens distat ab urbe decem.*

His verbis maxime perturbantibus devertit et me stupentem reliquit. Sunt momenta in vita hominum, in quibus nescit, utrum id enimvero acciderit an imaginatus sit. Num verissime mihi cecinit? In qualibus difficultatibus iste versatur? De quali urbe locutus est?

Scio populum unum non intellegere hic centrum orbis esse. Summa cum certitudine iste civis Romanus est.

Quid autem Romanus hic quaerit? Num Romani etiam nos subicere volunt? Sufficit. Sed cur, si ea in animo habent, unum virum solum debilem in urbem nostram mittunt? Credebam Romanos cum legionibus armatis venire. Certe de industria virum solum imbecillem miserunt, ut nemo suspicaretur. Certe explorator missus est, ut omnia ad invadendum pararet.

Apertum est urbem pulcherrimam mari Pontico sitam Romanorum magni interesse. Cum semel Romanus unus hic insidit, tum ceteri Romani sequuntur et nos inundabunt. Arma capiamus!

Qualia nuntia! Statim Bredam et Brindusam petam novissima nuntiatum.



3b. Platz: **Amelie Lipkow** und **Ingrid Moder** (Thema 2)

Tomide duo viri in obscuro angulo tabernae bibentes sedent.

Alter dicit: „*Iterum atque iterum Roma, quae ampla raptorum est, nobis exulantes mittit. Nobis maximam faecem, scorta, parricidas, perforatores, parasitos, potores dare vult! In malam crucem! Nos non eleemosynam damus! Ii sycophantae terras nostras invadunt detrahuntque. Labores nostros rapiunt ac mulieres quoque arripiunt. Ii se ut porci gerunt: Clamant, rixam committunt, pecunia spoliant.*“

Alter clamat: „*Impudici!*“, pugno mensam pulsans. „*Mores ac instituta nostra non respiciunt et nobis barbaris maledicunt. Iniuria nos lacessunt quasi meliores sint.*“ Gemens in sede reclinat et bibit.

Alter frigit: „*Quamquam nobiles viri, qui nihil falsum et fecerunt et faciunt, sumus.*“ Copa praeterit. Alter culum captans ebrius exclamat: „*Cunne! Fer nobis plus vini!*“ Alter ridet et dicit: „*Nos nihil contra eas res facere possumus et Roma nobilis multas difficultates nobis dat. Cogitat tantum de se ipsa.*“ Parumper viri quieti sedent bibentes vinum.

Repente porta magno fragore patet et vir magna obscuraque forma intrat. Silentium est et omnes hospites timidi eum inspiciunt. Recta duos in angulo sedentes adit circumspectans.

„*Consilium paratum est*“, inquit, „*omnes viri praestolant et expectant iussa vestra.*“

Adscendentes duo viri arma, quae in pallis abstrusa fuerunt, carpunt et dicunt. „*Negotia agamus! Nostrae divitiae augeri volunt. Ergo videamus, quos viros carrosque hodie occupare possimus. Denique optimi oppidi exulantes antiquitus sumus.*“

Spezialpreis: Kai-Yanick Lissinna (Thema 2)

Marcus Quinto suo salutem dicit

Paucis diebus ante navi longa ex Italia in Graeciam profecti sumus, ut inde Tomidem veheremur. Cum Brundisio in portu merces in navem imponendo occupatus essem, quendam virum in puppi navis stantem animadverti. De nomine interrogatus nullum responsum dedit, sed vultu maesto in mare spectavit. Cum naves solveremus portumque relinqueremus, in eodem loco constitit et multas lacrimas ad Italiam amatam respiciens effudit. A magistro navis cognovi illum virum clarissimum Ovidium esse, qui ab Augusto Tomidem relegatus esset. Primo Vesperi paulum cum noto vectore collocutus sum, veram causam relegationis autem narrare Ovidius aut noluit aut non potuit. Iterum atque iterum dixit, quantum suam familiam suosque amicos desideraret et se sperare se quam celerrime Romam revocatum iri. Se enim timere ignotum locum et barbaros incolas Tomidis, se cum eis ne colloqui quidem verisimile posse.

Interea tempestas navem nostram afflixit. Per deos! Quod malum omen itineris nostri! Sed Neptuno auxiliante salvi in Graeciam navem appulimus et te de hac re mira docebo, optime amice!

Vale!